





Halle





THESES INAUGVRALES JURIDICÆ  
DE  
DIVERSO RERVM  
MOBILIVM ET IM-  
MOBILIVM JVRE;

QVAS  
EX DECRETO ET AVTHORITATE  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,  
IN FER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE, ERFORDIENSI,  
PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE JVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CONSEQVENDI,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
IN AVDITORIO ICTORVM MAJORI

DIE XIV. AVGVSTI. MDCCXXXI.

HORIS CONSVETIS

SVM MITTIT

A V T O R  
BERNARD. HENR. MEYER,  
HILDESIENSIS.

ERFORDIÆ. Litteris FRANCKENBERGIANIS,

1601-  
6  
1731  
46







Q. D. B. U.

DE DIVERSO RERUM MOBILIIUM  
ET  
IMMOBILIIUM JURE.

Thef. I.



Vemadmodum *Rei* vocabulum à Philosophis inter transcendentia numeratur, ita nostro quoque jure latissimè prædicatur de omnibus rebus, quæ in & extra patrimonium nostrum existunt, & hac ratione à pecunia differt, cum hujus significatio ad ea referatur, quæ in patrimonio sunt. *L. s. pr. ff. de verb. Signif.* quapropter *Rei* nomine venit omne id, quod vel existit, vel existere potest, adeo, ut etiam juridicè acceptum hoc vocabulum & personas & actiones comprehendat; *L. 4. s. 6. ff. de V. S.*



*V.* Splerumque tamen strictius accipitur, prout constituitur juris objectum, a personis & actionibus distinctum.

Thef. II.

Ut autem varias Rerum divisiones præteream, de quibus DD. *ad Tit. ff. & Inst. de Rer. Division.* plenius tractant, Res generatim sumptæ in Corporales & Incorporales optimè dispeſcuntur. *Corporales* sunt, quæ sua natura tangi possunt, *L. 1. §. 1. ff. de Rer. divis. §. un. Inst. de reb. corp. & incorp.* sive, quæ sensibus externis subjiuntur, veluti ædes, horti, agri, vineæ &c. *Incorporales* è contra sunt, quæ sua natura tangi non possunt, atque formam & esse suum à jure habent, & hæ res, licet facultatem subministrent, aliquid agendi & faciendi, quod est sensibile, in se tamen & formaliter acceptæ sensus externos effugiunt, v. g. servitutes, obligationes, actiones, jura, vulgò die *Gezeitigkeiten*.

Thef. III.

Porro Res Corporales ulterius in mobiles & immobiles distinguuntur; quæ proin divisio non est generis, sed speciei, rerum scilicet tantum corporalium. Physicè quidem loquendo res omnes corporales sunt mobiles, quatenus motus consideratur tanquam affectio corporis naturalis, sive ætus entis in potentia; sed in sensu juridico *Mobiles* sunt, quæ de loco in locum, motu locali integræ & salvæ transferri possunt, ut navis. *L. 1. §. 7. ff. de Vi & vi armat.* proventus metallici, *Ausbeute*, itemque merces in tabernis. *L. 66. ff. de V. S.* ex quo inferit. BERGER. *Oeconom. jur. L. 2. tit. 1. §. 6.* corpus pharmaceuticum, *Apotheker Waaren*, inter res mobiles





biles referri, idque indistinctè, sive Apotheca ceu privilegiaria ad domum destinata sit, sive non; quam referente eodem, Facultas Jurid. Lipsiensis hac super re contraria Respona dederit, semel corpus pharmaceuticum una cum vasis & instrumentis ad res immobiles referendo, alio autem tempore in simili causa jus quidem, sive privilegium pharmacopolii, loco rei immobilis habendum, merces & vasa autem rebus mobilibus annumeranda esse statuendo.

## Thes. IV.

Res autem animatae sive se moventes, licet aliquando mobilibus contradistinguantur, ut in *L. 1. ff. de edil. edict. L. 1. C. de prator. pign.* ubi tres rerum species, immobilium sive soli, mobilium & semoventium recensentur; revera tamen à mobilibus non differunt, *L. 93. ff. de V. S.* quia dubitationis saltem tollendae causa plura membra aliquando in legibus proponuntur. WISSENBACH *ad d. L. 93. ff. de V. S.* quapropter mobilium appellatione animalia quoque continentur, PECK *de Testam. Conjug. l. 5. c. 39.*

## Thes. V.

Germanis res mobiles dicuntur *bewegliche Güter*, *Fahrnüß*, oder *fahrende Haabe*. STRYK *U. M. ff. de Rec. divis. §. 15.* ubi tamen pro praxi Germaniae notat, hodierno usu differre vocabula: *Fahrnüß* / (item *Mobilien*, *Meublen*) & *beweglich Gut*, velut strictius & lausius; siquidem vocabulo: *Fahrnüß*, itemque *Mobilien*, *Meublen*, solitariè prolato in vernacula nostra nihil aliud, quam *utensilia* & *supellex domestica*

com-



comprehendatur; è contra verò verba: beweglich Gut, bewegliche Güter, generatim prolata suam adhuc latitudinem habeant, omnesque res ac bona mobilia, atque adeò etiam animalia contineant. Unde cum disputatum aliquando fuisset; An, si testator alicui legasset seine Behausung mit der Fahrnüss und Hausgeräthe; etiam legasse videatur animalia? Negativam integro consilio defendit KLOCK, Vol. 3. Conf. 128, ubi tantum supellectilem & alia Mobilia domestica illo prælegato contineri asserit; siquidem usus Germaniæ voci Fahrnüss, item der Mobilien strictiorem significationem conciliavit, ut ea amplitudine non pateat, qua res mobiles in jure Romano. Gallicissant enim in non paucis Germani, & pro eo, quo in peregrinam nationem feruntur amore, linguæ genium in Germaniam traducunt. Unde cum Meubles ad supellectilem domesticam usu recepto restringant Galli, idem usu venit Germanis in vocabulo Mobilien, ut ita omnino latius pateat appellatio der beweglichen Güter, quam der Mobilien. STRYK diet, loc. BERGER, econom. jur. l. 2. tit. I. pag. 216.

Thef. VI.

Res Immobiles sunt, quæ salvæ, integræ, & non corruptæ vel destructæ, de loco in locum transferri nequeunt, Germanicè unbewegliche Güter. Sunt autem Tales iterum vel naturaliter, vel juris intellectu: Naturaliter immobiles sunt res soli, ut fundus, metallifodinæ, sive partes metallicæ, seu, quæ solo coherent; unde vulgatum illud ex L. 3. §. 15. ff. de Vi & vi arm. Mobile immobili coherens censetur

A 3 im-





immobile. Cohærent autem solo quædam vel *Natura*,  
 ut arbores radicaræ. *L. 7 § 5 ff. quod vi aut clam.* Grami-  
 na & fructus pendentes similes. *L. 44. ff. de Rei Vin-*  
*dic. vel Facto hominis*, ob quod res sua natura mobi-  
 les immobilibus variis modis adjudicantur: puta (1.)  
 Inædificatione, ut tigna & ædificia. *L. 7. §. 10. ff. de*  
*A. R. D.* Molendina pneumatica, sive alata, quæ vento  
 agitantur, & certis locis inædificata, ut ibi perpetuo  
 maneant. *HERING. de Molend. q. 8. n. 40.* Affixione,  
 ut statuæ ædibus affixæ, *L. 9. §. 2. ff. quod vi aut clam.*  
 Molendina aquatica ædibus juncta. *BERLICH. p. 3.*  
*Concl. 30. n. 10. § 11* ubi idem de rotis, aliisque illorum  
 instrumentis affirmat, modo instrumenta ipso actu  
 ædibus fuerint affixa vel imposita, etiamsi postea de-  
 trahantur eâ mente, ut reponantur. *L. 17. §. 10. § 11,*  
*ff. de A. E. V. (3.)* Impositione, ut regulæ ædibus im-  
 positæ *L. 7. § 10. ff. quod vi aut clam. (4.)* Satione & im-  
 plantatione, ut plantæ. *§. 31. seq. Inst. de R. D.* denique  
 (5.) Infossione, *L. 18. pr. de A. E. V.* Quæ vero solo *juris*  
*intellectu* immobilibus cohærent, & ob id *Civiliter* tan-  
 tum pro immobilibus reputantur, sunt res, quæ licet  
 ex sua natura cum integritate de loco moveri possint,  
 quia tamen certo in loco, perpetui usus gratia, sunt  
 collocatæ, ex censura juris in classem immobilium re-  
 diguntur. *L. 17. §. 7. ff. de A. E. V. L. 242. §. fin. ff. de*  
*V. S.* Huc pertinent Machinæ bellicæ, & quidquid  
 præsidii loco ad castrum destinatum est. *SCHILTER.*  
*Exerc 4. §. 23.* Servi adscripticii, *L. 23. §. 1. C. de Agric. Col.*  
*Nov. 7. in præf.* lecti in diversis ad ipsum jus hospi-  
 tii ita deputati, ut perpetuo ibi maneant, id quod

ab



ab allegante probandum. BOEHMER. *ad ff. de Rer. divis. §. 12.* item vasa ad coquendam cerevisiam, vulgò, ad braxandum, in certum locum destinata. BERGER. *Oecon. jur. lib. 2. tit. 1. §. 7.*

### Thef. VII.

De Molendinis navalibus, utrum immobilibus accensenda sint? dubium moveri solet; mobilibus enim ea annumerat cum STRAUCH. *D. 7. §. 1.* CARPZOV. *P. 3 C. 24. d. 8. n. 3. seq.* quia (1.) navis res mobilis est. *L. 20. §. 4. ff. quod vi aut clam.* ergo & illud, quod navi inædificatum est; argumento à toto ad partem desumpto. (2.) quia de loco in locum salva substantia moveri possunt. Alii vero hæc Molendina Nautica rectius ad immobilia referunt, cum STRUV. *S. 9. F. v. 6. aph. 11. n. 6.* SCHWEND. *ad Eck. tit. de Rer. divis. §. 17.* quia (1.) funibus terræ alligantur, & (2.) ea destinatione extruuntur, ut perpetuo pro molitura in flumine permaneant, cui instar terræ cohærent. Pro inde argumentum à toto ad partem à Dissidentibus assumptum, ita est limitandum, modo eadem sit utriusque ratio, quæ hoc loco exulat, cum navis, nisi moveatur, nullus existat usus, quod secus est in molendino navali. BERGER. *dict. loc.*

### Thef. VIII.

Res mobiles communiter in ordine ad certos effectus subdividi solent in pretiosas, & non pretiosas. *Pretiosæ* dicuntur, quæ servando servari possunt, & propter suum pretium, artem vel antiquitatem, singularem conciliant splendorem, v. g. monilia, vasa aurea



rea & argentea, statutæ, arg. L. 22. § 24. C. de Administr.  
 & peric. tutor. Et non pretiosæ sunt, quæ vel servando  
 servari non possunt, uti vinum, frumentum, oleum,  
 & animalia supervacua &c. vel servatæ specialem de-  
 corem non conciliant, uti v. g. est supellex communis  
 & ordinaria; qua in re consuetudinem locorum atten-  
 dendam esse, monet ROBERT, KOENIG. ad Tit. de  
 Reb. Eccles. alien.

## Thes. IX.

Quamvis autem Res incorporales per se, & pro-  
 prie nec in immobilium, nec mobilium rerum censum  
 referendæ sint, quandoquidem hæc appellatio rebus  
 solum corporalibus, & certo loco conclusis convenit,  
 utpote quæ solæ motus & quietis proprie capaces  
 sunt, ac proinde res incorporales separatam potius  
 quandam speciem constituent, & à mobilibus atque im-  
 mobilibus injure nostro distinguantur; L. 7. §. 4. ff. de  
 pecul. L. 15. §. 2. ff. de Re judic. Si tamen necessitas  
 aut usus juris postulet, eas ad alterutram speciem re-  
 ducere, per fictionem juris pro diversitate materiæ  
 modo mobilibus, modo immobilibus accensentur. Ita  
 enim jus piscandi, venandi & servitutes prædiales in-  
 ter res immobiles computantur, quia sunt qualitates  
 prædiorum. L. 14. pr. ff. de Servit. L. 4. pr. ff. Si servit.  
 vindic. L. 68. ff. de V. S. frustra dissentiente GEORG.  
 FLECK. in Bibliothec. jur. lib. 2. tit. 1. n. 77. § 78. Cen-  
 sus vero & redditus annui spectant ad res mobiles, si  
 ex mobilibus; ad immobiles autem, si ex immobili-  
 bus debentur, Clem. Exvi vers. cum annuo redditus.  
 de V. S.



de V. S. COVAR. lib. 3. Var. resol. C 7. n. 2. v. 2. Eodem modo nomina, & actiones, si ad res mobiles tendant, mobilibus; si ad immobiles, immobilibus accensentur. L. 9. pr. ff. de R. C. L. 72. pr. L. 75. L. 85. pr. ff. de V. O. in quibus asseritur, obligationes dividuas vel individuas, certas aut incertas, denominari ab objecto; unde colligitur, quod pariter actiones etiam quoad mobilitatem, vel immobilitatem mensurentur ex objecto, quod respiciunt; cujus ratio ulterior est, quia alias, qui actionem ad rem habet, rem ipsam, ad quam tendit actio, habere videtur. L. 143. ff. de V. S. L. 5. ff. de R. J. WEHNER. Obs. pract. verb. Sahrnß. pag. 142. GAIL. lib. 2. Obs. II. n. 10. è quibus prior de praxi hujus sententiæ, posterior de præjudicio Camerae testantur.

## Thes. X.

De pecunia, in qualium rerum censum spectet, disquiri solet; Eam autem esse rem mobilem, mihi verius videtur. L. 79. §. 1. ff. de Legat. 3. ubi Ictus, his verbis, inquit, que ibi mobilia mea erunt, do, lego, nummos ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos, Proculus ait: at eos, quos præsidii causa repositos habet, legato contineri. Ast nec primo, nec secundo casu pecunia seu nummi legato containerentur, nisi sub appellatione mobilium venirent; cujus etiam ratio evidens est, quia pecunia, naturaliter & civiliter Spectata, est mobilis; transit enim salva & integra de manu ad manum, de loco ad locum, nec fructificat, si recondatur in arca, & non expendatur. Can. ejiciens. II. Dist. 88. Nec obstat, pecuniam esse rem incorporalem, cum magis ex quantitate, seu valore, qui non cadit in sensus, quam

B

ex



*ex substantia*, seu materia spectetur. *L. 1. pr. ff. de Con-  
trah. empt.* adeoque de se nec mobilem, nec immobi-  
lem esse, sed sequi naturam objecti, ad quod destinatur.  
Nam sicuti negatur, pecuniam rem incorporalem esse,  
ita ad *cit. L. 1.* reponitur, genuinum illius sensum  
esse, quod pecunia non ex sola materia, sed etiam ex va-  
lore, qui tamen plerumque materiae corresponder,  
æstimetur; ex inde tamen tam parum fit incorpora-  
lis, quam parum imago, vitrum, gemma, aliave res  
evadit incorporalis ex valore, quem accipit ex ingenio,  
industria & dexteritate artificis.

## Theſ. XI.

Ulterius de pecunia quæritur; Si vel ad immobi-  
lem rem corporandam destinata; vel ex rei immobi-  
lis venditione redacta sit, an non pro re immobili ha-  
benda sit? quod in utroque casu negatur; Et ratio  
prioris est, quia pecunia suapte natura est mobilis, nec  
textus afferri potest, qui rebus immobilibus eam ac-  
censeat, quando destinatur ad rem immobilem emen-  
dam; quin & in aliis materiis, quando destinatur unum  
ad alterum, destinatum ex sola destinatione non assu-  
mit naturam illius, ad quod destinatum est. *arg. L. 17. §.  
5. 10. & II. ff. de Act. empti.* alioquin etiam de natura &  
qualitate rerum vix aliquando certitudinem habere  
possemus, si sola destinatio, quæ incerta & multabilis  
est, pro manifesto indicio deberet assumi; ut ut dissen-  
tiat cum aliis GLETTLE. *p. 1. select. q. 12. n. 3.* Ratio autem  
posterioris est; quia pecunia non efficitur immobilis  
ex sola substitutione in locum alterius; neque enim (ex-  
ceptis iudiciis universalibus, de quibus proinde etiam  
in



telligenda est L. 22 ff. de Hæred. petit.) pretium in locum rei succedit; cæteroquin sequeretur, pretium, ex re furtiva acceptum, furtivum esse; item pecuniam, ex distractione pignoris receptam, esse pignore affectam; nec non rem, nummis meis comparatam, meam esse; quæ conclusiones, quam absurdæ sint, liquet ex L. 48. §. fin ff. de Furt. L. 7. §. un. ff. qui potior in pignor. L. 6. C. de Rei Vindic.

Thef. XII.

Hisce summam præmissis, & prælibata diversa rerum mobilium ac immobilium natura ac indole, nunc ad eam, quam quoad varios juris effectus inter se sortiuntur diversitatem progredior; siquidem distinctio & differentia res inter mobiles atque immobiles, in plures juris articulos usum suum diffundit; Ac primò quidem in alienatione rerum, ad personas sub tutela vel cura constitutas pertinentium, eadem distinctio probè noranda venit, quia rerum immobilium alienatio, quocunque modo fiat, etiam per transactionem, divisionem, servitutum & pignoris impositionem, tutoribus ac curatoribus, imò & ipsis minoribus interdicta est. L. 4. l. 7. l. 15. C. de præd. minor. neque aliter pro valida reputatur, nisi sub certa juris forma facta fuerit; quamvis autem HAHN, ad Wesenb. tit. de Reb. cor. qui sub tut. requisita XVI. recenset. ad tria tamen comòde referri possunt; scilicet (I) requiritur justa ac necessaria alienationis causa, L. 6. L. 12. C. de præd. minor. Talis est æs alienum urgens, quod ita dicitur, si vel creditor urgeat, vel modus usurarum æri alieno parendum suadeat. L. 5. §. 9 in fin. ff. de Reb. cor. v. g. si timendum, nisi fundus pro dissoluti-





one æris alieni tempeſtively diſtrahatur, ne patrimonium brevi exhauriatur, licet creditores ſolutionem non urgeant LAUTERB. *Differt. de alien. rer. que min. th. 29.* talis etiam eſt cauſa alimentorum, nec non ſtudioꝝ ſumptus. *dicť. Differt. th. 30.* proinde ob ſolam utilitatem, minorum prædia de jure civili diſtrahi nequeunt, *L. 5. §. 14. L. 13. pr. ff. de Reb. cor.*

## Theſ. XIII.

Diligens (11.) cauſæ cognitio accedere debet, ubi magiſtratus indagare, ac probe æſtimare debet utrum vendere potius, an obligare permittat, nec non illud vigilantè obſervare, ne plus accipiatur ſub obligatione prædiorum fœnoris, quam opus ſit ad ſolvendum æs alienum: & ne ob modicum æs alienum magna poſſeſſio diſtrahatur: nec nimium tutoribus credere, ſed pupilli conſanguineos convocare & requirere debet. *L. 5. §. 10. & 11. ff. dicť. tit.* Hinc cum aliis conqueritur CARP. ZOV. *P. 2. C. 11. def. 28.* de judicibus nimis proprè & ſine ſufficienti cauſæ cognitione decreta ſua, quamvis nulliter, interponentibus. Denique (3.) requiritur, ut, judex, de juſta alienandi cauſa edoctrus, decretum interponat; nec refert, an à judice domicili, an rei ſitæ, illud interponatur. *L. 5. §. 12. ff. d. t. L. 16. C. de præd. minor.* Unde ſuperfluam reputo cautelam, quam tradit LUDOVICI. *ad ff. d. t. §. 2. in fin.* Scilicet tutius eſſe, ut ab utroque judice decretum interponatur. Sin hæc requiſita, quibus aliqui ſubſtationem adjiciunt, ſed ſine fundamento, cum nullibi ſit præcepta. COCCEI. *Jur. contrav. ad. dicť. tit. queſt. 4.* conjunctim obſervata non fuerint, alienatio ipſo jure nulla eſt, & hinc mi-

no-



nori rei vindicatio competit. *L. 16. C. de præd. minor.* sæpe tamen quæstio incidit, quando ejus modi alienatio impugnatur, cui scilicet probatio à judice sit imponenda? quam cum CARPZ. LAUTERB. *Colleg. Theor. pract. de Reb. eor. §. 9.* Sequentem in modum resolvit, si minor ipsam alienationem, tanquam defectuosam, impugnet, ab ipso defectum, seu fundamentum suæ intentionis, & quia pro solemnitate præsumatur. *L. 1. C. de contr. stip.* probari debere. Si vero possessor adserat, prædium legitime venditum esse onus probandi ipsi incumbere. *L. 13. §. 2. ff. de publ. in rem act.* Atverò mihi probabilius videtur, etiam in eo casu, quo minor alienationem, seu defectuosam, impugnat, ab adversario probationem legitime factæ distractionis peragendam esse; licet enim pro solemnitate actus præsumatur, id tamen non de alia, quam intrinseca, minimè autem de extrinseca intelligi potest. *Conf. SCAMBOG, ad §. fin. Inst. de Fidejussor.*

Thef. XIV.

Quod si verò res minorum aut pupillorum mobiles distrahendæ veniant, equidem, si eadem pretiosæ sint, aut servando servari possint, utpote quæ immobilibus per Imp. CONSTANTINI constitutionem in *L. 22. C. de Adm. tut.* æquiparantur, prædict. requisita similiter necessaria sunt: è contra si res mobiles, servando servari nequeunt, tutor pro libero arbitrio & privata autoritate, easdem alienare potest, & debet, ita, ut, si cessaverit in distractione, & res interim perierit, tutor vel curator suam faciat periculum. *L. 7. §. 1. ff. c. de Adm. tut. l. f. §. fin. cod.* Hasce tamen res in alia loca, ubi carius venduntur, trans-





ferre non tenetur, sed sufficit, si justo pretio & tempore in locis, ubi venditio celebratur, res vendantur.  
LAUTERB. *di& loc. §. 3.*

## Thes. XV.

*Secundo* in alienatione rerum dotalium circa mobilia ac immobilia, in dotem data, diversum plane jus obtinet; ubi tamen præmonendum venit, Lege Julia fuisse inductum ne maritus fundum dotalium, in Italico solo positum, invita muliere alienaret, neve consentiente etiam ea obligaret illum. *L. un. §. 15. C. de R. U. A.* quia lex Julia præsumebat, facile adduci posse mulierem, ut consentiret in oppignorationem sive hypothecam, ubi nullum præsens periculum, sed spes est, ut maritus eam luat, non etiam ad alienationem, cum dicatur avarissimum esse hominum genus. *Gloss. in L. 16. C. de donat. ant. nupt. imp. verò JUSTINIAN. in di& L. un. §. 15 non tantum prohibitionem L. Juliae ad provinciales res extendit, sed ulterius etiam disposuit, ut maritus, nec consentiente quidem muliere dotem alienare, multo minus obligare possit, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur. pr. Inst. quib. al. lic.*

## Thes. XVI.

Cum autem tam L. Julia, quam posteriores Constitutiones de alienatione fundi vel prædii dotalis prohibita loquantur. *cit. pr. Inst. quib. al. lic.* Sua sponte sequitur, quod illa prohibitio ad res mobiles non spectet, sed diversum plane circa eas jus obtineat; quod itaque mari-



maritus res dotationales *fungibiles* pro arbitrio, jure competentis dominii, distrahere possit, patet ex *L. 42. ff. de jur. dot.* Nec aliud de *Speciebus* mobilibus in dorem datis dicendum; quia *L. Julia* tantum alienationem rerum immobilium prohibet, & per nullam legem aliam hæc prohibitio ad mobiles extensa est; unde communi regulæ qua domino rerum suarum permittitur alienatio & à qua res mobiles nullibi excipiuntur, hic inhærendum; accedit, quod per *L. 21. ff. de Manum. L. 3. C. de jur. dot. L. 1. f. C. de serv. pign. dat.* marito sit concessa facultas, servos dotationales manumittendi, manumissio vero est alienatio, quæ proinde non valeret, si maritus alienandi jus non haberet.

Thef. XVII.

Sunt quidem, qui cum PEREZ. & WESENBEC. *ad. tit. C. de fund. dot.* excipiunt res mobiles, dotationales, quæ servando servari possunt, & ad has quoque prohibitionem *L. Julia* producunt, moti *L. 22. C. de Adm. tut.* ubi tutores ejusmodi res, perinde ut immobilis, alienare prohibentur. Ast præterquam, quod à diversis mala fiat illatio, insignis quoque maritum inter & tutorem est differentia, cum ille rei Dominus, hic vero administrator tantum sit. Nec porro obstat, *L. 1. §. 1. C. de R. U. A.* Siquidem tantum loquitur de extensione ad fundos provinciales, adeoque de eodem genere, scilicet immobilium. *C. J. A. tit. de fund. dot. th. 2.* Cæterum, si maritus solvendo esse desierit, ipse res etiam mobiles dotationales alienare nequit, quia tum dos stante matrimonio exigi potest, *L. 29. C. de jur. dot.* & quoad hunc effectum perinde habetur, ac si jus mariti in dote expirasset, VINN, *ad. pr. Inst. quib. al. lic.*

Thef.



## Thes. XVIII.

Nec minús *Tertiò*, rerum mobilium ac immobilium distinctio usum suum in cautionis præstatione præber. Siquidem *possessores rerum immobilium* æque de jure civili à satisfatione de judicio sisti, ac hodierno, à cautione de judicio peragendo, & expensis in casum succumbentiæ refundendis, nec non de Reconvensione, sunt immunes. LAUTERB. *Colleg. ad tit. qui satisf. cog. §. 20.* STRYK. *U. M. ff. cod. §. 11.* SCHOEPPF. *ad ff. cod. n. 9.* E contra *possessores mobilium* hac cautionis immunitate non fruuntur. SCHOEPPF. *dict. loc. n. 11.* quod tamen limitare solent in eo, qui nec fugæ, nec prodigalitatís suspicione laborat, & res mobiles pretiosas possidet, quæ facile de loco in locum transferri nequeunt, unde CARPZOV. *p. 1. C. §. def. 19.* BRUNNEM. *Proc. civ. c. 8. n. 9.* possessorem Bibliothecæ, aut tabernæ mercibus impletæ ab onere satisfationis immunem pronunciant, si de cætero omnis sinistra suspicio absit.

## Thes. XIX.

Similiter *Quartò* in usucapionis ac præscript. materia, rerum mobilium ac immobilium discrimen occurrit; Et quidem si vetus jus, ac antiquum Reipub. Rom. statum consideramus, usucapio procedebat in omnibus rebus mobilibus sive mancipi, sive nec mancipi, in immobilibus vero mancipi tantum; præscriptio vero erat rerum immobilium, nec mancipi, quales erant res provinciales; usucapio porro anno vel biennio; sed præscriptio non nisi longo tempore perficiebatur: Illa dabat dominium, adeoque actionem in rem producebat; hæc vero tantum exceptionem. *L. pen. c. de præscript. 30. vel 40. ann. pr. Inst. de usu cap.* item præscriptio per litis con-



contestationem interumpebatur, sed usucapio demum per ex-  
 cussionem. *L. 2. §. 1. ff. pro empti. L. 20. ff. de R. V. SCHAMBOG.*  
*ad. d. pr. Inst.* Tametsi verò prædictæ differentiæ omnes sublatae  
 sint *L. un. C. de usucap. transf.* illa tamen adhuc notabilis diver-  
 sitas relicta est, quod rerum mobilium usucapio triennii, immo-  
 bilium autem inter præsentis decennii, & inter absentes vicen-  
 nii spatio compleatur. *dict. L. un.* præterea etiam discrimen  
 subest, quod in rebus mobilibus non faciliè procedat usucapio;  
 quia, qui sciens rem mobilem alienam alteri ut suam tradit, fur-  
 tum committit, & accipiens eam cæu furtivam usucapere ne-  
 quit. *§. 2. Inst. de Usucap.* in rebus tamen immobilibus hoc ali-  
 ter se habet, nam si quis fundi alicujus vacantis possessionem  
 sine vi nanciscatur, eundemque fundum, ut ut sciens eum alien-  
 num esse, vendat, bonæ fidei emptor tempore ordinario præ-  
 scribere potest. *dict. §. 2. Inst. de Usucap. in fin. modo juxta Aulæ*  
*Malæ fidei. C. de præscript. long. temp.* illa res immobilis sciente do-  
 mino à malæ fidei possessore alienata fûerit; quod si enim domi-  
 nus rei alienationem ignoraverit, 30. annis bonæ fidei posses-  
 sor possidere debebit.

Thef. XX.

Ulterius *Quimò* mbiles inter res & immobiles distinctio  
 in executione, pignorumque distractione usum præbet; si  
 enim reus victus & condemnatus moram in solvendo commit-  
 tat & ad implorationem victoris executio decernatur, pigno-  
 ra capiuntur, quæ dein distrahuntur, pretiumque ex iis reda-  
 ctum creditori cedit; certus autem ordo in *L. 15. §. 2. ff. de Re*  
*judic.* præscriptus est, qui in executione observandus, scilicet  
 ut primum in res mobiles, deinde his deficientibus, aut non suf-  
 ficientibus, in res immobiles, & denique in subsidium in jura  
 & nomina peragatur. *Quamvis* autem asserat *GEORG.*  
*FLECK. Bibliothec. jur. lib. 5. c. 78. n. 19.* quod judex hodie ordi-  
 nem executionis in *d. L. 15. §. 2.* præscriptum pro arbitrio suo  
 mutare, & quascunque res, prout executori ac victori visum  
 fuerit,prehendere possit, nullam tamen rationem hujus asserci  
 profert, unde pro observantia ejusdem concludunt, & execu-  
 tionem

¶





tionem inverſo ordine fieri poſſe negant, STRYK *U. M. ff. de Rejudic. §. 16.* COLER. *Proc. execut. p. 3. c. 9.* BERLICH. *p. 1 Concl. 22. n. 49.*

Theſ. XXI.

Præterea Sexto in Feudorum conſtitutione rerum mobilium ac immobilium diverſitas cernitur; ſive enim Feudum definire lubeat cum HORN. *Juriſpr. feud. c. 2. §. 7.* quod ſit *jus in re pleniffime utenda fruenda, alicui ex benevolentia Domini ſub conditione mutua fidelitatis conſtitutum*: vel cum aliis, quod ſit *res, cujus uſile dominium alicui conſeſſum ſub lege fidelitatis.* SCHAMBOG. *Tr. feud. tit. 1. n. 19.* non aliter tamen feudum, quam in re naturaliter aut civiliter immobili conſtitui poteſt, juxta Feudiſtam *II. F. 1. in fin.* Unde res mobiles planè arcen- tur, & illæ quidem, quæ uſu conſumuntur, ideo, quia domini- um directum non poteſt re conſumpta ſuperreſſe. Quod ad illas attinet mobiles, quibus uſi poſſumus ſalva ſubſtantia, eas vel ob vilitatem, vel exiguum uſum non convenire crediderunt conditores feudorum obligationi feudali, ut in iisdem feudum principaliter conſtituatur, licet in acceſſione feudi eſſe queant; Quales res, Feudiſta *d. l.* intelligere videtur per vocabula; *ſolo coherentibus, e. g. claves clauſtrum &c.* Deinde nec hæ res perpetuæ ſunt, ſed deteriores fiunt, ac longiori uſu pereunt, ſicque non adeo aptæ ſunt ad feuda, quæ in perpetuum dantur.

Theſ. XXII.

Nec dictis obſtat Textus *II F. 25.* ubi videntur nummi, qui tamen res mobiles ſunt, in feudum poſſe dari. Etenim ibidem non hoc vult Feudiſta, quod nummi poſſe dari. Etenim ibidem non hoc vult Feudiſta, quod nummi ipſi in feudum dari poſ- ſint, ſed, ſi Vaſallus rem alienam in feudum acceperit, illam- que perſententiam judicis amiſerit, quod Dominus debeat vel aliud feudum ejuſdem æſtimationis dare vel nummos, qui- bus aliud feudum comparari poſſit; unde in *cit. text.* per nummos in Feudum dandos non intelligitur pecunia ut talis, ſed virtualiter & æquivalenter, quatenus res immobilis, per num- mos emenda, in feudum convertitur. LUDWEL. *Synt Feud. C. 2. p. 24.* Num vero Feudum, improprium ſaltem, in rebus mo- bilibus



bilibus & consumptibilibus constitui possit, sicut improprius, seu quasi usufructus in iis constitui potest? pro utraque parte disputari solet; STRUVIO *cap. 4. aph. 2. n. 4.* cum multis in affirmativam; ZOESIO cum pluribus, quos allegat VULTEJUS *de Feud. lib. 1. C. 5. n. 10.* in negativam declinante,

## Thes. XXIII.

Nec minor *Septimo* in Retractu apparet differentia mobilia inter & immobilia: Etenim Retractus gentilitius, qui competit consanguineis ac propinquis alicujus familiae, ut rem extraneo venditam, eodem soluto pretio, ad se retractent, ita tamen, ut semper, qui proximior est consanguineus, reliquis preferatur; non aliter locum habet, quam si res immobilis sit vendita; unde in rebus mobilibus alienatis, cessat, quia earum possessio non ita certa & constans, uti immobilium, nec adeo familiae prodest, in cujus favorem iste Retractus per Germaniae mores fuit introductus. ZOES. *ad ff. de Retract. n. 76.* HERING. *de Molend. qv. 8. n. 60*

## Thes. XXIV.

*Octavo* Res mobiles vitio furti vel rapinae subjacent, neque locum habet in iis, per vim ablatis, Interdictum Unde vi. *L. 1. §. 3. ff. de Vi & vi arm.* quod tamen illis, qui de rerum immobilium possessione dejecti sunt, competit *L. 3. ff. eod.* similiter pro retinenda possessione immobilium possessori, nec vi, ne clam, nec precario ab adversario possidenti, datur Interdictum Utrius possidetis; pro conservanda autem possessione rei mobilis Interdictum Utrius locum habet. *§. 4. Inst. de Interdict.*

## Thes. XXV.

Denique ut alias nunc. differentias praeteream, in successibus hereditariis magnam saepe rerum mobilium & immobilium diversitas praestat utilitatem; Cum enim jura successionis ab intestato plerumque pro diversitate locorum varia ac diversa extent, saepe quaestio emergit, si defunctus in alio loco domicilium, & in alio bona sita habeat, ad cujus loci statuta & successionem respiciendum sit; qua difficultas per distinctionem inter *mobilia* & *immobilia* optime resolvitur, ita, ut quoad



*Illa successio fiat juxta statuta & jura ejus loci, in quo defunctus domicilium habuit, etiam si illa mobilia alibi reperiantur; quia bona mobilia eo in loco, quo temporis gratia translata, civiliter existere non videntur. L. 32. ff. de Pignor. sed Paterfam. ea destinasse creditur ad locum domicilii, ut ibi ejus familiae inservant, & ob id isto in loco civiliter esse censentur. CARPZOV. p. 3. C. 12. def. 13. & 14. MEV. p. 2. dec. 100.*

Thef. XXVI

Quoad Bona *immobilia* idem olim sensisse Jctos Lipsi- ens. testatur CARPZ. *lib. 6. resp. 39. n. 8.* sed superior est opinio, quod immobilium successio deferenda sit non juxta domicilii, sed cujusvis loci rei sita jura, quia illius jurisdictioni & statutis subjecta sunt, *arg. L. 1. 2. & 3. C. ubi in rem act.* & jurisdictio ultra territorium non extenditur *L. f. ff. de jurisd.* igitur immobilia in alio loco sita juxta domicilii jura deferri nequeunt, GALL. *lib. 2. O. 124. n. 16.*

Thef. XXVII.

Ceterum, quod de mobilibus dictum, limitatur quoad ea, quae à paterfam. ad certum locum, ut ibi perpetui usus causa maneant, destinata sunt, v. g. oves, aut alia animalia, ad certum praedium perpetuo destinata; in ejusmodi enim mobilibus idem quod de immobilibus propositum, observari debet; siquidem talis res mobilis pro civiliter immobili, ac parte illius loci atque praedii habetur. CARPZOV. *p. 3. C. 12. def. 15.* plura ut addam, brevissimi temporis, quo constringor, angustia non permittit, sed solum abrumpere jubet,

TANTUM.





ULB Halle

3


005 367 751




VD 78











THESES INAUGVRALES JVRIDICÆ  
DE  
**DIVERSO RERVM  
MOBILIVM ET IM-  
MOBILIVM JVRE;**

QVAS  
EX DECRETO ET AVTHORITATE  
**MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS,**  
*IN FER-ANTIOVA ELECTORALI VNIVERSITATE ERFORDIENSI,*  
PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE JVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CONSEQVENDI,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
IN AVDTORIO ICTORVM MAJORI

*DIE XIV. AVGVSTI, MDCCXXXI.*  
HORIS CONSVETIS  
SVBMITTIT  
A V T O R

**BERNARD. HENR. MEYER,**  
*HILDESIENSIS.*

ERFORDIÆ. Litteris FRANCKENBERGIANIS.

ibori-  
6  
1731  
46

